

Heinrich Raspe    Johann Friedrich Besser

## **1) De aetate Oedipi Colonei Disputatio. 2) Nachrichten von den mit der Dom-Schule vorgenommenen Veränderungen**

Güstrow: Gedruckt bei H.H.L. Ebert's Erben, 1841

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1670909115>

Druck    Freier  Zugang        OCR-Volltext

# Güstrowsche Schulchriften.

Sechstes Stück.

- 1) De aetate Oedipi Colonei Disputatio  
scripsit  
**G. C. H. Raspe,**  
Philos. Dr. Gymn. Gustrov. Prorector.
- 2) Nachrichten von den mit der Dom-Schule vor-  
genommenen Veränderungen.

Womit

zu der am 2. April  
anzustellenden

## Prüfung der Jugend

alle

Sönnern und Freunde unserer Schule

mit gebührender Achtung einladet

**Dr. Joh. Friedr. Besser,**  
Prof. und Director der Domschule.

---


**Güstrow, 1841.**

Gedruckt bei H. H. L. Ebert's Erben.



3216.3.e

Gelehrter  
Christen



Gelehrter  
Christen

Gelehrter  
Christen

Gelehrter  
Christen

Gelehrter  
Christen

Gelehrter  
Christen

Gelehrter  
Christen

DE AETATE  
OEDIPI COLONEI

DISPUTATIO

scripsit

*G. C. H. Raspe,*

Philos. Dr. Gymn. Gustrov. Prorektor.

---

GUSTROVIAE

Typis Ebertianis.

MDCCCXLI.

DE ARTATE  
OEDIPY COLONNE

*Nihil haustum ex vano velim, quo nimis inclinant  
ferme scribentium animi.*

T. Livius.

W. C. W. W. W. W.  
P. H. H. H. H. H. H. H. H. H.

DE STROVIT  
P. H. H. H. H. H. H. H. H. H.  
MOCCOLI

Δῖνος βασιλεύει, τὸν Δι' ἐξεληλακώς.

*Aristophanes.*

**M**agna est hodie etiam in investiganda antiquitate fides ac vel forti viro timenda auctoritas eorum argumentorum, quae non in ipsis veterum nitantur testimoniis, quippe obsoletis jam et dudum explosis ab intelligentibus viris, sed quae ex sola ratione tanquam ex puro quodam atque divino fonte deducantur. Quae argumenta quam habeant vim, et satis jam experti sumus, qui neque Horatium neque Euripidem (ut de aliis taceam) nisi dimidiatum quendam et mutilatum habeamus, et brevi, sat scio, eo rem deductam videbimus, ut omnis antiquitas fastidiose in somnia atque commenta stolidorum hominum referatur et magnum periculum sit, si qui forte venerandis illis argumentis, quae sola scilicet, utpote ab *ratione* profecta, fide digna sint, fidem denegare ausi fuerint, ne omnes qua par est urbanitate et clementia βεκκεσελίγοις et Κρονίων ὄζοσιν adnumerentur.

Equidem, quamquam non is sum, qui, ut nunc faciunt fervidi quidam atque vehementes viri, istiusmodi argumenta Vatiniano odio per-

## IV

sequar atque parum intelligam, quantum saepe utilitatis literae ex iis perceperint, non tamen eo me adduci passus sum, ut in tanto, quanto nunc fere sunt, honore habeam atque sola literis salutem afferre posse opiner. Nam qui ea accuratius et circumspecto iudicio examinare sustinuerit, et quid verum sit exquirere quam speciosa atque artificiosa cupide sectari maluerit, is profecto non semel ea fraudem fecisse viris doctis eorumque animos implicasse invenerit. Sic vel nostris temporibus multa conciderunt, quae Niebubrius, vir egregiae, quis neget? doctrinae summoque ingenii acumine conspicuus, de historiae Romanae primordiis staturat, et, nisi vehementer fallor, plura etiam concident. Sic etiam, quas viri docti, ab internis illis, si hoc uti licet vocabulo, argumentis profecti, de nobilissimae Sophoclis fabulae aetate nuper pronuntiarunt sententias, eas omnino probandas non esse certissimis evinci potest argumentis. Id hac disputatione etiam aliis me probaturum esse spero.

Sophoclis fabula, quae a Colono nomen habet, quando vel acta sit vel facta, non unum exstat apud veteres scriptores testimonium. CICERO in Cat. maj. VII. 22. Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit: quod propter studium, quum rem negligere familiarem videretur, a filiis in iudicium vocatus est, ut, quemadmodum nostro more male rem gerenti-

bus patribus bonis interdici solet, sic illum quasi desipientem a re familiari dimoverent iudices. Tum senex dicitur *eam fabulam, quam in manibus habebat et proxime scripserat, Oedipum Coloneum*, recitasse iudicibus quaesisseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato, sententiis iudicum est liberatus. VALERIUS MAXIMUS VIII., 7., 12. Sophocles quoque gloriosum cum rerum natura certamen habuit, tam benigne mirifica illa opera sua exhibendo, quam illa operibus ejus tempora liberaliter subministrando. Prope enim centesimum annum attigit, *sub ipsum transitum ad mortem Oedipode Coloneo scripto*, qua sola fabula omnium ejusdem studii poetarum praeripere gloriam potuit: idque ignotum esse posteris filius ejus Iophon noluit, sepulcro patris quae retuli insculpendo. APPULEJUS in Apol. p. 298. Sophocles poeta Euripidi aemulus et superstes, vixit enim ad extremam senectam: quum igitur accusaretur a filio suomet dementiae, quasi jam per aetatem desiperet, protulisse *Coloneum suam*, peregre regiam tragoediarum, *quam forte tum in eo tempore conscribebat*, eamque iudicibus legisse, nec quidquam amplius pro defensione sua addidisse, nisi ut audacter dementiae condemnarent, si carmina senis displicerent. Ibi ego comperior omnes iudices tanto poetae assurrexisse, miris laudibus eum tulisse ob argumenti sollertiam et cothur-



num facundiae, nec ita multum omnes abfuisse, quin accusatorem potius dementiae condemnarent. LUCIANUS in Macrobiis c. 24. Tom. III., p. 226. Σοφοκλῆς ὁ τραγωδοποιὸς ῥᾶγα σαφελῆς καταπιὼν ἀπεπνήγη, πέντε καὶ ἐνεήκοντα ζήσας ἔτη. Οὗτος ἐπ' Ἰοφῶντος τοῦ υἱοῦ ἐπὶ τέλει τοῦ βίης παρανοίας κρινόμενος, ἀνέγνω τοῖς δικασαῖς Οἰδίπορον τὸν ἐπὶ Κολωνῶν, ἐπιδεικνύμενος διὰ τοῦ δράματος, ὅπως ὑγαιίνει· ὡς τοὺς δικασὰς τὸν μὲν ὑπερδαυμάσαι, καταψηφίσασθαι δὲ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ μανίαν. Patet ex his, Sophoclem illud iudicium subiisse in summa senectute, ut Cicero dicit et Appulejus, vel adeo sub finem vitae, ut Valerius et Lucianus, eoque ipso tempore Oedipum Coloneum scripsisse: nam quod Lucianus poetam recitasse iudicibus Oedipum Coloneum simpliciter refert, de aetate autem ejusdem fabulae disertis verbis monere supersedit, id non ejusmodi est, ut vel tenuissimam de reliquorum auctorum fide dubitationem injicere possit, praesertim quum, quae proxime sequuntur verba ἐπιδεικνύμενος διὰ τοῦ δράματος, ὅπως ὑγαιίνει, ad quod tempus Lucianus et ipse Oedipum Coloneum pertinere statuat, haud subobscurè significant. Quin etiam, si hoc unum illi auctores tradidissent, Sophoclem aliquando recitasse iudicibus Oedipum Coloneum, ut se integra mente uti ostenderet, neque quidquam praeterea addidissent, vel sic de aetate satis constaret. Probe quidem scio, quae Hermannus in Praefat. Oed. Col. p. XII.

pronuntiavit: — non sequitur verum esse, quod Cicero, Valerius Maximus, Appulejus referunt, si in extrema senectute iudicium illud subiit Sophocles, etiam Oedipum eodem tempore ab eo scriptum esse. Potuit enim, ut se integra mente uti ostenderet, etiam fabulae multo ante scriptae carmen recitare, neque opus erat, ut ea fabula ignota esset iudicibus. Sed haec aut aliquid reconditi habent, aut, si recte intelligo, non accommodata sunt ad persuadendum. Potuit haud dubie Sophocles non uno modo pessimi filii criminationes amoliri; sed quum illud potissimum placuisset, ut fabula quadam a se scripta accusationi dementiae responderet, ea profecto non esse potuit; quam multo ante, sed quam proxime scripserat atque in manibus habebat: quippe non se fuisse usum integra mente, sed nunc ipsum se integra mente uti comprobare iudicibus et voluit et debuit. Praeterea ingenue me non intelligere fateor, quo jure Hermannus, quod Cicero, Valerius Maximus, Appulejus referunt verum esse *sequi* negaverit, quod ipsi non sequi dixerunt, sed pro certis et exploratis posuerunt. At obstare videntur, quae PLUTARCHUS scripsit in libro An seni sit gerenda respublica pag. 785. a. (Tomus IX. pag. 137. Reisk.) Σοφοκλῆς δὲ λέγεται μὲν ἐπὶ τῶν αἰῶν παρανοίας δίκην φεύγων ἀναγνῶναι τὴν ἐν Οἰδίποδι τῷ ἐπὶ Κολωνοῦ παράδου, ἧ̃ ἐστὶν ἀρχῆ· Εὐίππου, ξένε,

τᾶςδε χώρας ἴκον τὰ κράτισα γᾶς ἔπαυλα κ. τ. λ. (Vid. O. C. v. 668. seq. \*) Atque illud quidem

- \*) Vellem de interpretatione pulcherrimi hujus carminis aequè nobis constaret, ac constabat haud dubie iudicibus Sophoclis. Nam quum alia, tum quae in antistropa I. leguntur, magnas habent dubitationes. Et de prioribus quidem quinque versibus

θάλλει δ' οὐρανόσ ἐπ' ἀ-  
χρας ὁ καλλίβοτρος κατ' ἡμᾶρ αἰεὶ  
νάρκισσος, μεγάλην δεαῖν  
ἀρχαῖον σεφάνωμ', ὃ τε  
χερσαυγῆς κρόκος

verissime nuper disputavit vir clarissimus, quem et praeceptorem et amicum plurimi facio, *Fr. Volcm. Fritzscheius* ad Aristophanem suum Vol. I. p. 368.: de reliquis autem

οὐδ' αὖ-

πνοι κῆραι μινύδοιοι  
Κηφισοῦ νομάδες ρεέ-  
δρων, ἀλλ' αἰὲν ἐπ' ἡματι  
ὠκυτόκος πεδίον ἐπιπίσσειται  
ἀκηράτω ξέν' ὄμβρω  
σερροῦχον χδορός

nondum inventus est, qui rem ad liquidum confesumque perduxerit. Nam quum Sophocles Cephisum aperte dicat fluvium perennem neque unquam deficientem, Strabo autem IX. 24., p. 400. A., et disertius etiam Plutarchus in Vita Solonis p. 91. C. eum per aestatem exarescere memoret, *Reisigius* breviter et leviter, ut saepius facit, rem expediturus, poetae in hoc genere aliquid condonandum asseverat, quasi et illud pro comperto sit, Straboni atque Plutarcho majorem hac in re quam Sophocli fidem esse tribuendam, et non cachinnos potius quam plausus excitasse necesse sit eum poetam, qui ridicule fontium Cephisi perennitatem limpidarumque aqua-

minoris est momenti, quod Plutarchus de parodo

rum meatus amabiles collaudaret, quum ipsi spectatores, quam non perennis esset ista perennitas pulchre intelligerent; *Hermannus* autem, qui *ροιάδες* dici arbitratur Cephisi fontes, sive quod in plures rivos divisus fluat, sive quod imbribus subito augetur, comparato Latino nomine *vagus*, eamque ob causam contra omnes libros, qui *ὠκύτονος* habent, accentu mutato *ὠκύτονος* scripsit, vereor ut effecerit, quod videtur efficere voluisse, ut pugnantem inter se Strabonem atque Sophoclem consociaret: quin poetam quodam modo sibi ipsi pugnantem facit, siquidem, qui recte *perennem* dicit fluvium, eundem non recte *ὠκύτονον* dicere potest. Praeterea non attendisse videtur vir summus, quod fontes Cephisi subito imbribus aucti nihil faciunt ad laudes Coloni Athenarumque celebrandas, in quibus tota versatur parodus. Equidem quum Sophocles Cephisum dixerit perennem, fieri non posse contendo, quin Strabo cumque eo Plutarchus egregie falsi sint, et ne opus quidem est Jacobum Sponium appellare in enarratione itineris Tom. II, p. 276., quem testem adhibuit Brunckius, vel Thierschium loco infra laudando, vel alios, qui uno consensu ne nunc quidem, montibus collibusque fere silvestri vestitu privatis, Cephisum unquam fluentis carere affirmant. Sed manent tamen difficultates, sive significationem verborum spectas, sive constructionem. Et primum quidem quod ad *ροιάδες* attinet Hermannii explicatio cur falsa videatur modo diximus; *Doederlinus* autem, qui *Elmslejo* obsequutus *ροιάδες* *ῥεῖσπον* construit atque *ripas* lambendo *arrodentes* interpretatur, ob similem causam minus etiam audiendus erit, ut taceam, quod, si alveum Graeci dixerit *ῥεῖσπον* (non vero *ῥεῖσπα*) inde profecto effici cogique non potest, *ῥεῖσπα* etiam *ripas* significare posse. *Heathius* quum verteret *alentes Cephisi flumina* docere debebat, quomodo, quod nomen eum significat, qui alitur, hoc loco in

alentis notionem abire potuerit. Similiter *Vauvilliersius* vim verbis fecit explicando *fontes pascui*, id est apud quos sunt prata pascua; nemo enim sobrius unquam *pascuos* dicet fontes (i. e. beweidete Quellen!) pro fontibus, apud quos sunt prata pascua; minus etiam Graecis eo sensu κῆναι νομάδες dicere licuit, quum νομάς nunquam de locis pascuis usurpatum sit. Paulo prudentius *Samuel Musgravius* interpretabatur *pastoritii* [imo *pastoricii*] *fontes*, si eos intelligi voluit, apud quos versari solent pastores; at *Sophocles* non νομαδικαὶ κῆναι sed νομάδες scripsit. *Brunckii* explicatio *agrum pererrantes* si vera esset, nimis jejune atque frigide de *Cephiso* suo dixisset poeta, quod in omnes fluvios cadit, nisi vero *Scholias*tae interpretationem reddere voluit, qui κῆναι νομάδες, inquit, αἱ ἐπινεμόμεναι — τὴν γῆν τῆ Ἰλισσοῦ [debebat Κηφισοῦ] πηγαί, quam nemo probabit, qui sic iis quae sequuntur ἀλλ' αἰὲν ἐπ' ἤματι ὠκυτόκος πεδίων ἐπιπίσσειται eandem fere sententiam aliis pluribusque verbis temere repeti animadverterit. *Hochederi* commentum, qui quum *Scholiam*ta *μυρῶσαι* explicare vidisset λήγσαι τῶ ῥεῖν, non dubitavit *μυρῶσαι νομάδες* conjungere, quemadmodum *λήγειν* jungi soleat cum participio atque ita convertere: sie hören nicht auf zu wandeln, wandeln stets in gleicher Fülle, vix est quod commemorem. Una restat explicatio a *Thierschio* proposita in libro, quem inscripsit *de l'état actuel de la Grèce* etc. Tom. II., p. 25. seq. (cf. *Jahnii* *Annal.* Vol. XVI. I., p. 111. seq. et ejusdem *Supplem.* III. IV., p. 635. seq.) Is collato *Virgilio* *Georg.* I., 106. *satis fluvium inducit rivosque sequentes* aquas intelligit, quae gregum instar hortulanum sequuntur quocumque eas ducit ad irrigandos hortos. Quam explicationem ad sensum optimam esse nemo negabit; etiam in constructione verborum νομάδες ῥεῖσθων, h. e. emanantes ex *fluentis* *Cephisi*, qui Genitivi naturam atque vim cognitam habuerit, nequaquam offendet; at quis

unquam κρήνας simpliciter pro fluentis posuit, aut talem sibi indulsit notionum confusionem, ut quum dicere vellet aquas hortos irrigandi causa ex Cephisi fluentis deductas, id ita efferret, ut fontes diceret ex Cephisi undis emanantes atque in hortos profluentes? — Ego de hoc vexatissimo loco quod sine ulla dubitatione proponam atque ita, ut mihi ipsi ab omni parte satisfaciam, non habeo; sed videor tamen mihi certe non vim verbis facere explicanti *Cephisi undas proxime ab ipsis fontibus non certos et constantes cursus tenentes, sed temere, gregum more, huc illuc profluentes*. Reliqua ut paucissimis absolvamus, jungenda sunt πεδίων ἐπιρροεταί [ὁ Κηφισός], egregie posito Genitivo, ut campi fingantur aquas quasi allicientes (videsis *Naegelsbachium* ad Homeri ll. p. 307.) Intelligendae autem sunt irrigationes agrorum ex Cephisi fluentis arte factae, ut docent verba αἰὲν ἐπ' ἡquatί, quae absurda essent, si de Cephiso sponte extra ripas diffluente cogitari voluisset poeta. Πεδία σεφρίχης χείρας non esse possunt *campi terrae planitiem habentis*, ut post Hermannum, qui Scholiastam et Eustathium sequutus est, Wunderus, Ellendtius in Lexico Soph. alique statuunt; nam primum ea est molestissima tautologia, quasi dicas campi campos habentes; deinde Terra non mas est sed femina; feminae autem quum non σεφρα habeant, sed μάζης, σεφρίχης profecto ne dici quidem posse videtur de terra; quod si verum est, etiam Reisingii et Thierschii diligentia frustra est, quorum ille *almam nutricem terram* designari arbitratur (quod vel ideo ferri nequit, quoniam sic quae de Cephiso agros lactificante dicta sunt, debilitantur et quodam modo retractantur); hic vero de duobus collibus cogitat Cephisi planitiem superantibus, quos cum duobus uberibus sive mammis ab Sophocle comparatos esse autumat: quae comparatio etiam si per verborum significationem admitti posset, tamen nimis invenusta esset venustissimo poetae, et si quid video, etiam absurda. Quare magnopere vereor ut illud σεφρίχης

loquitur, reliqui testes de tota fabula 1): at in eo quis haereat, quod non modo de senectute poetae nihil monuit, verum etiam paulo infra haec adjecit: Θανυσᾶ δὲ τῆ μέλεις φανέντος, ὡςπερ ἐν θεάτρῳ τῆ δικαστηρίου προπεμφθῆναι μετὰ κρότης καὶ βοῆς τῶν παρόντων. Τῆτι δὲ ὁμολογεμένως Σοφοκλέεις ἐσὶ τὸ ἐπιγραμμάτιον·

Ὀιδῆν Ἡροδότῳ τεῖξεν Σοφοκλῆς ἐτέων ὄν  
πέντ' ἐπὶ πενήκοντα.

quod vix unquam apte explicari poterit, ab Sophocle profectum sit; si tamen profectum est, cum vocem finxisse parum poeticam cum Hermanno erit confitendum. Ego quidem locum jam antiquitus corruptum ab Sophocle autem *σενωπῆ χθονός* scriptum esse conjicerem, si mihi certum esset, *σενωπός* etiam de angustiis vallium usurpari potuisse: nunc in medio rem relinquam. — Jam totum locum ita fere convertas: Schlummerlos versiegen nimmer die unstät sich hin ergießenden Quellen des Cephissus, sondern ewig von Tag zu Tag wället er Fruchtbarkeit schaffend mit lauterem Gewässer über die Ebenen des [eng (von Hügeln) umschlossenen?] Landes.

- 1) Car. Fr. Hermanno in quaestionum Oedipodearum Cap. II., p. 51., n. 39. rectius videtur Plutarchus ad parodum tantum restringere, quod alii de tota fabula narrant. Illud *rectius* nunc quidem missum faciam; sed quod addit non negligendum esse, Ciceronem de *carmine* potius, quam de *fabula* loqui, id non scripsisset, si diligentius ejus verba expendisset (Tum senex dicitur *eam fabulam, quam in manibus habebat et proxime scripserat*, Oed. Coloneum, recitasse iudicibus quaesisseque num *illud* carmen desipientis videretur) atque etiam *fabulas* dici carmina meminisset.

Nimirum haec percurrenti magis quam legenti Sophocles videri potest Oedipum Coloneum scripsisse annos natus quinquaginta quinque<sup>2)</sup>, recitasse autem, quum senex factus ob dementiam in jus esset vocatus: neque enim ququam, spero, in eam deduci poterit opinionem, ut Plutarchum vel ipsam illam recitationem ad aetatem quinquaginta quinque annorum referre existimet, non quod parum sit verisimile, ut Reisigō est visum<sup>3)</sup>, Sophoclem quum annum agens quinquagesimum quartum praeturam gessisset, proximo anno de dementia causam dixisse, quo argumento nihil fingi potest imbecillius, sed, quia Plutarchus de *senibus* loquitur, non de viris integra aetate. Verum, qui ista attentius legerit atque ultra proximas lineas prospexerit, is plane non dubitare poterit, quin Plutarchus Ciceroni reliquisque testibus non modo non adversetur, sed faciat cum iis. Plutarchus enim l. l. id agit, ut nihil causae esse doceat, cur, qui aetate proveci sint, a rebus gerendis recedant: quin multa invitent. Idque ut auctoritate et exemplo summorum virorum confirmet, ad memoriam revocat Imperatoris Augusti atque Periclis, qui vel in

2) Ac fuit qui ita statueret. Is est Corsinus in *Fastis Atticis* III. p. 217., monente Reisigio in *Enarratione Oedipi Colonei* p. VII.

3) L. l. p. VI.



*extrema aetate* optime rempublicam administrarint; Agesilai, qui, quamvis *senex* mortem obierit (καίπερ γεραιῶ τελευτήσαντος) tamen *vel prope finem vitae* (ἤδη πρὸς τὸ τέλος τῆ βίης ὄν) sociis animos confirmarit, hostibus terrorem injecerit. Jam vero etiam poetarum mentionem injicit; inter quos, postquam Simonidem laudavit, qui *octogenarius* victoriam reportaverit, *Sophoclis* memoriam iis quae supra attulimus verbis prosequitur. Quid igitur? Sophocles ut ex Plutarchi narratione *quinquagenarius* illam fabulam scripserit? At de recitate fabula, non de scripta loquitur. Id scilicet ex his patet: Δαμασῶ δὲ τῆ μέλεις φανέντος, ὅςπερ ἐκ θεάτρου τοῦ δικαστηρίου προπεμφθῆναι μετὰ κρότης καὶ βοῆς τῶν παρόντων. Sed quid fiet de illo epigrammatico? Actumst, ilicet, dixerit quispiam, haec ubi legit: praevideo enim fore, ut proterve et omnis auctoritatibus damnes, quae tibi obstant: satis jam novimus praeclarum illum artis criticae usum. — Recte tu quidem, vir sagacissime; damno, aut certe insigniter depravata esse existimo, at quae Plutarcho magis etiam quam mihi adversentur. Nam hoc quidem vel indulgentissimo critico confessum est, si istud epigrammaticum non aliquo saltem modo Plutarchi narrationem respiciat, ineptum esse additamentum. Jam velim me quis edoceat, quid sit his: ὁδὴν Ἡροδότῳ τεῦξεν Σοφοκλῆς ἐτέων ὧν πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα cum iis quae praecesserunt, quid

valeant ad ea vel explicanda vel confirmanda. Tu si fortasse referas ad parodum Oedipi Colonei, velim animum advertas, parodum vix dici posse ᾠδήν; non posse carmen choricum scriptum esse Herodoto, quod Coloniatis potius atque Atheniensibus scriptum erat; non posse Plutarchum inepte pro testimonio afferre, in quibus nihil eorum est, quod testimonio erat confirmandum; non posse eundem ineptius etiam afferre, quae, si quid probare possent, longe aliud quid probarent quam quod probandum erat. At referas fortasse ad totam fabulam. At taedet, jam eadem rursus inculcare, et recte miramur Jacobum, qui tantum tribuit huic tam bello testimonio<sup>4</sup>), ut non utique se negare profiteretur, Sophoclem hanc fabulam Herodoto composuisse, modo id nonagenarius fecisse dicatur, non quinquagenarius. Itaque hoc solum restat, ut illos versus non ad Oedipum Coloneum, sed ad carmen nescio quod referamus, conditum illud ab Sophocle senescenti Herodoto<sup>5</sup>). Hanc interpretationem et verba facile admittunt, et est ea res satis me-

4) Quaest. Soph. I., p. 350., n. 1.

5) Sophocles mortuus est Ol. XCIII., 3. = 406. a. C. (Schulz de vita Sophoclis, p. 154.) Herodotum post Ol. XCIII., 1. vixisse ex ipsius patet Histor. L. I., 130., idque pluribus docuit Franciscus Passovius Megapolitanus in Jahnni Annal. 1826. Vol. II. Fasc. II., p. 154.

morabilis, quae epigrammate quodam celebranda atque memoriae mandanda videri potuerit: modo ne illud esset πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα. Quod quomodo apte corrigi possit quum equidem non perspiciam, malui profecto pro additamento accipere quae prorsus inepta sunt, quam insignem Plutarcho obtrudere stuporem. Fortasse jam antiquitus id quod paulo ante de Simonide epigramma produxit Plutarchus

Ἄμφι διδασκαλίῃ Σιμωνίδῃ ἔσπετο κῆδος

Ὀγδωκονταῖται, παιδὶ Λεωπρέπεος. 6)

adeo movit hominem quendam, ut Sophoclem quoque, longe nobiliorem poetam, tali munere exornandum censeret. Itaque invexit epigrammatium suum quod nescio unde acceperat, atque τῷ δὲ ὁμολογημένως, inquit, Σοφοκλῆος ἐστὶ τὸ ἐπιγραμμάτιον, fidem scilicet facturus.

Sed de Plutarcho jam satis; pergo nunc ad Grammaticum eum, qui Sophoclis vitam conscripsit. Is haec habet: φαίνεται δὲ καὶ παρὰ πολλοῖς ἢ πρὸς τὸν υἱὸν Ἰοφῶντα γενομένη δίκη ποτέ.

- 6) Mendose Reiskius: Ὀγδωκονταῖται, παιδὶ Λεωπρέπεος. Ceterum quis etiam his versibus non multum tribuat, ut qui expressi esse videri possint ex Simonidis Epigrammate in Brunckii Analect. Tom. I., p. 137. LVI. sive in Jacobsii Anth. Gr. Tom. I., p. 69. L.:

Μνήμη δ' οὐ τινα φημί Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν

Ὀγδωκονταῖται, παιδὶ Λεωπρέπεος.

Certe hoc non ex illo est expressum. Vide Jacobium in Animadvers. Vol. I., l., p. 235. seq.

ἔχων γὰρ ἐκ μὲν Νικουράτης Ἰοφῶντα, ἐκ δὲ Θεωρίδος Σικωνίας Ἀρίσωνα, τὸν ἐκ τούτου γενόμενον παῖδα Σοφοκλέα τῆνομα πλέον ἔσεργε, καὶ ποτε ἐν δράματι εἰσήγαγε τὸν Ἰοφῶντα αὐτῷ φθοροῦντα καὶ πρὸς τοὺς φράτορας ἐγκαλῶντα τῷ πατρί, ὡς ὑπὸ γήρωσ παραφρονῶντι· οἱ δὲ τῷ Ἰοφῶντι ἐπετίμησαν. Σάτυρος δὲ φησὶ αὐτὸν εἰπεῖν, εἰ μὲν εἰμι Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ· εἰ δὲ παραφρονῶ, οὐκ εἰμι Σοφοκλῆς· καὶ τότε τὸν Οιδίποδα παραναγῶναι. Eadem refert atque iisdem paene verbis Scholiasta ad Aristophanis Ranas v. 23. Qui loci magnam fecerunt viris doctis controversiam. Nam quum Boeckhius<sup>7)</sup> inepte grammaticos narrasse dixisset, Hermannus<sup>8)</sup> levitatem ei exprobrans, qui damnavisset, quod non e re sua esset, illam narrationem non modo ineptam, sed absurdam judicavit, ut emendandam potius quam non audiendam fuisse pateat. Itaque emendavit grammaticos, pro ἐν δράματι scribendo ἐν δικαστηρίῳ. Quam emendationem vereor ut multis probaverit. Nam recte negavit Boeckhius<sup>9)</sup>, formulam dicendi

7) In libro de Graecae Tragoediae principibus, p. 136.

8) L. I. p. XII.

9) In Niebuhrii Mus. Rhen. I., p. 57. seq. Quae ad defendendam emendationem suam Hermannus de permutatis apud seriores scriptores ἐν et εἰς praepositionibus docte monuit, ea hac quidem in causa nihil efficiunt, siquidem in iis loquendi formis, quae ad vitam quotidianam pertinent quaeque receptae sunt quotidiani sermonis usu, aliquid novare neque doctis

εἰσάγειν ἐν δικαστηρίῳ pro εἰσάγειν εἰς τὸ δικαστήριον ullo modo defendi posse, et, quod addit Hermannus, verisimilius etiam videri ab Sophocle accusatum esse Iophontem, quod se dementiae insimularet, quam ab Iophonte Sophoclem, hoc ita mihi persuaderi sinam, si quis obscuro cuidam et incondite obloquenti grammatico plus fidei dandum esse evicerit, quam iis, quae uno consensu a locupletissimis testibus tradita sunt, quaeque nihil plane in se habent, cur non verisimilia esse statuas. Praeterea omnis Hermannii de hoc loco sententia, quod ad ipsam attinet litem, quam Sophoclem filio intendisse putat, tam multis iisque magnis implicata est difficultatibus<sup>10)</sup>, ut vix ea ac ne vix quidem idonea ratione expediri posse videantur. Sed non magis arridet ipsius Boeckhii sententia. Is enim<sup>11)</sup> quam Iophon patri illaturus fuisset

---

neque indoctis ac ne sciolis quidem in mentem venire potuit. Quod si talibus, quale hoc est εἰσάγειν ἐν δικαστηρίῳ excusationem petere liceret ab similitudine aliarum locutionum, in quibus ἐν pro εἰς positum est, ea non ab serioribus tantum sed vel ab optimis scriptoribus peti potest. Verum sic abusus analogia non usus eo tandem adduceris, ut nihil Graecis negatum esse confiteri debeas.

10) Videsis Boeckhium l. l. p. 49. seq., qui quae ibi dixit etiam Fr. Hermannus, doctissimo et acutissimo harum rerum iudici probavit in Quaest. Oed. p. 56., n. 59.

11) L. l. p. 55. Confer Indic. lectt. Berol. hib. 1825 —26. p. 6.

litem curialibus fuisse proponendam putat, qui eam approbarent, priusquam ad ipsos iudices deferretur. Qui quum potestatem non dedissent, immo vero graviter filium reprehendissent (οἱ δὲ, inquit Scholiasta, τῷ Ἰοφῶντι ἐπετίμησαν) rem omnino in iudicio non esse versatam, idque etiam inde patere contendit, quod, si Sophocles injuste esset a filio accusatus, jam Archon in cognoscenda causa litem rejecisset. Atque hoc quidem, quod postremo loco posui, quodque temere repetiit Schultzius<sup>12)</sup>, egregie refutatum est a Fr. Hermanno<sup>13)</sup>; quod autem Boeckhius de venia ab curialibus petenda dixit, id posset sane adjuvari loco quodam insigni Platonis<sup>14)</sup>, si modo in adumbrando jure do-

12) In Vita Sophoclis, p. 107.

13) L. l. p. 54.: „Archontem enim, qui gravem annis patrem filioque iniquum videret, hujus querelae movere poterant [cf. God. Herm. de Inscriptionibus Graec., p. 188.], apud iudices heliastas praesertim, quos omnino non tam doceri quam delectari in iudicio voluisse constat [Aristoph. Vesp., v. 566. 579.] veteris poetae sive artificium sive auctoritatem praevalere consentaneum erat.“

14) Legg. Lib. XI., p. 929. D. Ἐὰν δὲ τις τινα νόσος ἢ γῆρας ἢ καὶ τρόπων χαλεπότης ἢ καὶ ξέμπαντα ταῦτα ἐκφρονα ἀπεργάζηται διαφερόντως τῶν πολλῶν, καὶ λαοδάνη τοὺς ἄλλους πλὴν τῶν συνδιαιωμένων, οἰκοφθορῆ δὲ ὡς ὦν τῶν αὐτῆ κέρως, ὁ δὲ υἱὸς ἀπορῆ καὶ ὀκνητὴν τῆς παρανοίας γράψουσαι δίκην, νόμος αὐτῷ κείσθω πρῶτον μὲν πρὸς τῆς πρε-

mestico et familiari instituta Atheniensium ac non potius suam opinionem sequutus esset Plato. Ac ne dicam quod debeam fortasse obtinere, non facile intelligi ac ratione comprehendere posse, qui factum sit, ut, quae non publice et coram omnibus ageretur, sed quae familiari quodam consilio dirimeretur controversia, ea non modo in oblivionem non adducta, sed etiam magnam apud veteres nacta sit celebritatem: id profecto neque Boeckhius ostendit, neque quisquam, si quid video, ostendere poterit, quo jure et qua de causa, quum curialibus plane nihil fuerit cum judiciis, tamen Cicero et Appulejus de *judicibus*, Plutarchus et Lucianus, quod gravius etiam est, de δικασαῖς loqui maluerint, quid denique de Plutarcho statuendum sit, qui disertissimis et planissimis verbis Sophoclem, *quum egregie ejus carmen placuisset, e judicio tanquam ex theatro cum plausu et clamore eorum, qui*

---

σβυτάτες τῶν νομοφυλάκων ἐλθόντα διηγήσασθαι τὴν τοῦ πατρὸς ξυμφορὰν, οἱ δὲ κατιδόντες ἰκανῶς ξυμβουλευόντων εἰάν τε δὲ γράφασθαι καὶ εἰάν μὴ τὴν γραφήν, εἰάν δὲ ξυμβουλευώσι, γηγέσθωσαν τῶ γραφομένῳ μάρτυρες ἅμα καὶ ἐνδικοί. ὁ δὲ ὄφλων τοῦ λοιπῆ χρότε ἀκρος ἔσω τῶν αὐτῶ καὶ τὸ σμικρότατον διατίθεσθαι, καθάπερ παῖς δὲ οἰκείτω τὸν ἐπιλοίπον βίον. Confer. Fr. Hermani de jure dom. et fam. ap. Plat. Disput. (Marb. 1836. 4.) p. 15.

*aderant, deductum esse refert. Longe prudentius rem aggressus est Meierus*<sup>15)</sup>, qui, quae de curialibus narravit Scholiasta, ad altercationem quandam, quam coram iis cum Iophonte habuerit Sophocles, quum nepotem Aristone mortuo in phratriam suam introducere tentaret, referenda esse statuit, rem autem omnino ad iudices pervenisse, non tamen Iophonte, sed ipso potius Sophocle auctore: phratores enim, quamvis reprehendissent filii legitimi criminationes, tamen ejus intercessione motos Sophoclis voluntati non esse obsequutos; servasse nihilominus senem propositum, re ad iudicium heliasticum delata; ibi Iophontem denuo patrem dementiae insimulavisse, quam insimulationem ut irritam redderet, Sophoclem recitasse partem Oedipi Colonei. Sed haec quoque maximam partem non vera sunt. Nam et illud plane pro arbitrio et quasi irridens ceterorum testium auctoritatem omnium finxit Meierus, Iophontem non commisisse, ut peculiarem dementiae actionem in patrem postularit; et quod de Sophoclis provocatione a curialium decreto ad iudices dixit, id hoc uno argumento concidit, quod ea nulla erat, ut verissime docuit Fr. Hermannus<sup>16)</sup>. Sed aliquid tamen veri

---

15) V. Comment. liter. Hall. 1826. p. 199. seq. et De gentilitate Attica, p. 19.

16) L. I. p. 55., allato Pollucis loco VIII., 62.



inesse in Meieri disputatione idem agnoscit Hermannus; recte enim eum egisse, ut causam Sophocleam, postquam apud curiales disceptata esset, ad heliastas pervenisse censeret; eamque sententiam ipse accepit, ita tamen, ut Iophon-tem, *quum frustra patri invidiam apud curiales constare tentasset, recepto in album fratris filio, ad dementiae actionem apud iudices confugisse statueret, ut patrimonium, quod mortuo patre jam dimidiatum tantum sperare posset, integrum vivo eriperet sibi que addicendum curaret*<sup>17)</sup>. Simul etiam aliquid Suevernio<sup>18)</sup> tribuendum existimavit, viro de hoc loco optime merito. Is enim eam instituit rationem, qua, quibus Grammatici narratio laborat difficultatibus, quarumque magnam partem viri docti aut intactam reliquerunt aut frustra remove conati sunt, simul omnes expeditae esse videri possint. Totam Grammatici narrationem inconcinnam atque incondite ex antiquiore auctore in brevius contractam ad Oedipum Coloneum pertinere existimat, verbo εισηγήσει non de ipsius Iophon-tem in scenam introductione intellecto, sed relato ad Polynicis partes, in quibus conscribendis Sophocles Iophon-tem respexerit et occulte per-

17) V. Quaest. Oed., p. 55. et De jure dom. et fam. p. 16.

18) In Commentätt. Acad. Berol. a. 1828. p. 30. seq.

strinxerit. Quae sequuntur *αὐτῷ φρονῶντα τῷ πατρὶ* non artissime conjungenda putat cum verbis *εἰσήγαγε τὸν Ἰοφῶντα*, quoniam sic, quod ineptissimum foret, qua ratione Sophocles Iophonem in scenam introduxerit, indicaretur, sed oscitanter ab stupido homine posita esse pro enunciato relativo *ὃς ἐφθόρει καὶ ἐνεκάλει* [imo *ἐνεκάλεσε*]. Quam interpretationem, in bono scriptore haud dubie repudiandam, ferri posse in Scholiasta, qui saepius contra leges grammaticae peccarit, velut in pronomine *αὐτῷ* prave relato ad Aristonis filium. Uberius etiam atque diligentius sententiam suam exposuit Suevernius<sup>19)</sup>, quum vir quidam doctus, qui sibi hanc rationem eam imprimis ob causam non probari profiteretur, quod nimis subtiles essent tectae illae in Iophonem invectiones, quam quae animadverti atque sentiri potuissent ab spectatoribus, longe aliam viam ineundam atque lucem obscurissimo loco petendam censisset ab Athenaei libro XIII., 592. B., ubi Sophocles in stasimo quodam Theoridem laudasse dicitur, allatis verbis *φίλη γὰρ ἡ Θεωρίς*. Hoc esse illius dramatis stasimum, cujus scriptor vitae meminisset: idque indicari verbis *αὐτῷ φρονῶν*, modo recte relatis ad *Aristonem*, Theoridis filium. Sophoclem festivum magis, quam morosum senem non nimis gravi-

19) L. l. p. 34. seq.

ter iratum fuisse insimulatione Iophontis; rem ad risum convertisse atque in fabulae cujusdam formam redegisse, non tamen quae unquam acta, sed quae scripta tantum sit familiaribus atque amicis. Ingeniosum fortasse est, quod vir doctus excogitavit, verum non est. Obstat enim quod ἀντὶ propter sententiarum nexum referri non potest ad Aristonem; obstat, quod Scholiasta non scripsit τὰς δὲ ἐπιτιμῶντας sed οἱ δὲ ἐπετίμησαν, nisi eo procedere lubet temeritatis, ut Sophoclem fingas reliqua omnia ad actus scenarum composuisse, hoc unum omisisse, reprehensionem curialium; obstant quae ex Satyro attulit Scholiasta de recitato Oedipo Coloneo, quae vel invitum adigunt, ut etiam quae praecesserunt ad Oedipum Coloneum respicere existimet<sup>20)</sup>; obstant denique alia permulta tam docte tamque subtiliter exposita ab Suevernio, ut quod demas aut quod addas vix inveniri posse videatur. Unum tamen ei non contigit ut satis refelleret; quod quum ei non contigerit, neque contingere potuerit, propemodum omnis ejus ad irritum redactus est labor. Nimirum recte Suevernium admonuerat vir ille doctus, quam parum accommodatae essent Polynicis partes ad tectam Iophontis castiga-

---

20) His simul refelluntur, quae Suevernius l. l. p. 47. in suam ipsius quasi saeviens disputationem argute magis quam acute proposuit.

tionem. Etenim ipse Suevernius praeter v. 1192. εἰσὶ χυτέρους γοναὶ κακαί, quo versu omnes quidem male morati filii notentur, imprimis tamen Iophon, duos tantum in medium profert, v. 1356. et 1362., in quibus relationem quandam ad Iophontem invenisse sibi visus est: quemadmodum enim Polynices Oedipum in miseriam detruserit, sic illum possessionibus expulsurum fuisse Sophoclem. Sed haec non suo loco avulsa legas, sed respicias, quae praecedunt, quaeque sequuntur. V. 1354. seq. haecce Oedipus:

ὅς γ', ὦ κάκισε, σκῆπτρα καὶ θρόνους ἔχων,  
 ἂ νῦν ὁ σὸς ξέναιμος ἐν Θήβαις ἔχει, 1355  
 τὸν αὐτὸς αὐτῆ πατέρα τόνδ' ἀπηλόσας,  
 κάθηκας ἀπόλιν καὶ σολὰς ταύτας φορεῖν,  
 ἄς νῦν δακρύεις εἰσορῶν, ὅτ' ἐν πόλει  
 ταυτῷ βεβηκῶς τεγγάνεις κακῶν ἐμοί.  
 οὐ κλανσά δ' ἐσίν, ἀλλ' ἐμοὶ μὲν οἰσέα 1360  
 τάδ', ἕως περ ἂν ζῶ σοῦ φονέως μεμνημένος.  
 σὺ γάρ με μόχθῳ τῷδ' ἔδηκας ἐντροφον,  
 σὺ μ' ἐξέωσας· ἐκ σέθεν δ' ἀλώμενος  
 ἄλλως ἐπαυτῷ τὸν καδ' ἡμέραν βίον.

Quid quaeso in his tale est, quod tectam Iophontis objurgationem respiat? An haec: ὅς γ', ὦ κάκισε, — φορεῖν, et σὺ μ' ἐξέωσας — βίον? At non deturbaverat Iophon patrem de bonis fortunisque omnibus, minus etiam ad mendicandum redegerat. Quid igitur haec ad Iophontem? Quam absurde denique addidisset poeta versus

1358. et 1359! An Iophon eandem ipse expertus erat miseriam, in quam patrem coniecerat? Fac tamen, ut haec Iophonti dicta sint. Quid vero his facies, quae leguntur ab v. 1192., ubi Antigona Oedipo ut Polynicem ad se venire patiatur persuasura, hunc in modum loquitur:

*ἀλλ' ἔα νῦν. εἰσὶ χιτῆροις γοναὶ κακαί,  
καὶ θυμὸς ὀξύς. ἀλλὰ νῆθετόμενοι  
φίλων ἐπῳδαῖς ἐξετάδονται φρόνῳ.*

Profecto non opus est longa oratione ut appareat, quam egregie ista *εἰσὶ χιτῆροις γοναὶ κακαί* in rem suam converterit Suevernius, quae non iratum animum, sed ad deponendam offensio- nem mollem prodant. Itaque ab hac quidem parte satis infirma est Sueverni disputatione, id- que etiam Fridericus Hermannus bene plane percepit, qui ita rem expedire conatus est, ut quos modo attuli versus 1192. — 1194. post modo insertos statueret ab juniore Sophocle, quem intellexisse fingit, spectatores in tanta veteris illius simultatis celebritate facile adduci posse, ut in Oedipi dictis avi animum in patrum agnoscerent<sup>21)</sup>, ideoque ipsum sibi Antigona sub persona reconciliationem in- ter illos factam callide testificandam sum-

---

21) Ex Fr. Hermannii sententia idem Sophocles junior Oedipum Coloneum docuit mortuo demum avo: de qua re infra dicitur.

sisse <sup>22)</sup>. Quae si non scripsisset Fridericus Hermannus, nihil, puto, de ejus laude detraheretur. Nihil enim levius fingi potest hoc commento, nihil imbecillius. Ut sagacissimi fuerint Athenienses et ubique tectas ambiguitates venati sint: quem putas adeo festive adoratum esse, ut latentem sub Antigoniae persona nepotem spurium agnosceret, quum vel illos versus audivisset, vel v. 342. seq.:

σφῶν δ', ὦ τέκν', οὐδ' μὲν εἰκὸς ἦν πορεύειν τάδε,  
κατ' οἶκον οἰκεῖσθαι, ὥστε παρδένου.

σφῶ δ' ἀντ' ἐκείνων τὰ μὰ δυσήνευ κακὰ  
ὑπερπονεῖτον κ. τ. ἔ.,

in quibus versibus ipsum Sophoclem spurii illius sui mores expressisse idem Hermannus suspicatur? Ita profecto demirari oporteret et ipsum avum, qui adamato suo spurio nepoti *μνημα* eis *ἀεὶ* conditurus tam obscure tamen eum significare instituerit, ut vel muliebri veste velaret, et magis etiam callidum istum, fortasse etiam vanum spurium, qui quum callide interpolasset boni avi tragoediam, ut se reconciliatorem inter patrem filiumque praedicaret, parum callide tale quid inserere oblitus sit, quae a sagacibus spectatoribus recte ad Iophontem

22) Iophontem cum Sophocle in gratiam rediisse auctores sunt Val. Max. loco supra allato, cui Scriptor Vitae adstipulari videtur: ἰδρύθη δὲ ὑπὸ Ἰοφῶντος τοῦ νῖδ' μετὰ τὴν τελευτήν.

## XXVIII

trahi possent. Sed nolo morari his in calliditatibus: hoc unum dictum volo omnibus iis, qui reconditam sibi in Oedipo Coloneo reperisse visi sunt Iophontis castigationem, si poeta objurgare voluisset filium et ita objurgare, ut sentire possent spectatores (quae autem esset adeo recondita castigatio, quam nemo sentiret?) eum longe aliter Polynicis mores descripturum fuisse, qui, id quod tali instituto plane contrarium foret, ad miserationem potius, quam ad invidiam animos concitat<sup>23</sup>), quin etiam aliquam sui admirationem injicit. Id si reputassent viri docti, nihil ejusmodi commenti essent. Verum saepius accidit viris doctis, ut quum ad singula explicanda accederent atque in ea totos se abderent, totum negligenter et quasi e conspectu amitterent, itaque nonnunquam in gravissimos errores laberentur. Non potest quidem recte judicari de toto, nisi accurate perceptis singulis rebus: vicissim nisi cui totum semper oculis observatur, de singulis rebus ut recte judicet nunquam contingere poterit. Ad propositum ut redeam, equidem propter ea, quae modo dixi, non multum ponderis tribuendum censeo grammatici verbis *καί ποτε ἐν δράματι εἰσήγαγε τὸν Ἰοφῶντα*, quae merum inventum aut ipsius videantur Scholiastae, aut illius, quem

23) Vide imprimis egregium diverbium a. v. 1399 — 1446.

exscripsit<sup>24)</sup>, imprimis quum non ipsos Athenienses ita existimavisse dicat: quamquam, si ita existimavissent, eos minime sequeretur poetae non affinxisse, quae ipsi nunquam in mentem venerant. Idem tamen ajo et contendo, grammatici narrationem ad Oedipum Coloneum pertinere totam. Qui si ita scripsisset: φαίνεται — ἔσεργε, καὶ ποτε ἐν δράματι εἰσῆγαγε τὸν Ἰοφῶντα τὸν αὐτῷ φθορῶντα καὶ πρὸς τὰς δικασάσας ἐγκαλῶντα τῷ πατρὶ κ. τ. ἔτ., nemo aliter, credo, sentiret. Atque ita scribendum putabam ante hos tres annos, quum Hermanni quidem emendationem ἐν δικαστηρίῳ non ferendam esse intelligerem, neque tamen a me impetrare possem, ut in absurda narratione, quae manifesto corruptelam subisset, acquiescerem. Verum nunc perlecta Suevernii commentatione prior illa correctio non necessaria videtur; altera autem, etsi quodammodo ipsius grammatici verbis ἢ πρὸς τὸν υἱὸν Ἰοφῶντα γενομένη δίκη commendatur, quum *causae* quidem non ad curiales, sed ad iudices deferri solerent, multis tamen justo audacior videbitur,

---

24) Quoniam quae Scriptor Vitae narrat, eadem scripta exstant apud Schol. ad Aristoph. Ran. v. 73., Fr. Hermannus p. 51., n. 41. *utrumque*, inquit, *eundem auctorem sequi patet*. Non patet; imo quum utriusque verba manifestas prae se ferant excerptorum notas, longe verisimilius est, unum ab altero esse mutuum, siquidem duos grammaticos in excerptando in easdem incidisse depravationes permirum foret.



quum vix idonea causa reperiri possit, quae vel Scholiastam vel librarium, vel denique ipsum, ex quo haec deducta sunt, auctorem moverit, ut pro iudicibus curiales substitueret. Improbentur igitur per me licet: vel sic habeo quomodo locum expediam. Nimirum Scholiasta ipsam illam dementiae actionem, utpote satis notam, indicare magis, quam narrare voluit, addere contra, quae reliquos fere scriptores neglexisse videret, sed quae facerent tamen ad lectores ita edocendos, ut, cognitis etiam quae actionem apud iudices praecessissent, omnem rem accuratius intelligerent suoque de ea uti possent iudicio. Itaque haec puta artissime cohaerere φαίνεται δὲ καὶ παρὰ πολλοῖς ἢ πρὸς τὸν Ἰοφῶντα γενομένη αὐτῷ δίκη ποτέ. Σάτερος δὲ φησὶ αὐτὸν εἰπεῖν, εἰ μὲν εἰμι Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ, εἰ δὲ παραφρονῶ, οὐκ εἰμι Σοφοκλῆς, καὶ τότε τὸν Οιδίποδα παραναγνῶναι, hanc autem fere Scholiastae mentem fuisse: *Multi tradiderunt scriptores celeberrimam istam atque divulgatam, quam Sophocli Iophon intendit actionem dementiae. Erant enim Sophocli duo filii, unus ex legitima uxore Nicostrata susceptus, Iophon, Aristo alter, spurius, Theoride natus, quae Theoris Sicyone orta erat. Genuit autem Aristo filium, cui et ipsi nomen erat Sophocles. Quem nepotem quum Sophocles avus singulari quodam amore amplecteretur, fortasse etiam nimis ornaret*

*beneficiis, magnam ei concitavit Iophontis invidiam, qui de patrimonio suo aliquid diminutum videret. Is igitur patrem de nimia in nepotem spurium liberalitate cum curialibus expostulavit, eumque jam per aetatem desipere dictitavit: a quibus quum non esset auditus, immo graviter reprehensus, adeo omnem neglexit pietatem, (ob id ipsum notatus est a Sophocle in eadem illa fabula, quam iudicibus recitasse constat), ut rem ad iudices deferret atque illam de qua modo dixi actionem institueret. Caeterum auctor est Satyrus, Sophoclem, quum in eo esset ut Oedipum Coloneum iudicibus recitaret, dixisse: Si Sophocles sum, non desipio; si desipio, non Sophocles sum. Haec voluit Scholiasta; sed quum brevitati studeret, neque tamen par esset brevitati, confudit omnia atque incondite protulit. Vides jam, mi lector, si recte ad sensum opinionemque alucinantis hominis penetravimus, nihil eum dixisse, quod ab reliquorum testium narratione abhorreat, sed quod confirmet potius fidemque augeat: id modo ne te obturbet, quod de Iophonte Polynicis sub persona notato sive ex suis sive ex aliorum copiis protulit: est ea oscitans grammatici sapientia.*

Restat ut ex argumentis Oedipi Colonei, quae scholiastae scripserunt, duos locos producam. Quorum in primo haec leguntur:

τὸ δὲ δράμα τῶν Σαυμαστῶν· ὃ καὶ ἤδη γεγηρακῶς ὁ Σοφοκλῆς ἐποίησε; in tertio, quod primus ex Victoriano exemplari edidit Thierschius, post eum ex ipsis membranis Laurentianis Elmslejus, haec: Τὸν ἐπὶ Κολωνῷ Οιδίποδα ἐπὶ τετελευτηκότι τῷ πάππῳ Σοφοκλῆς ὁ υἱδοῦς ἐδίδαξεν, υἱὸς ὢν Ἀριστῶνος, ἐπὶ ἀρχοντος Μίκωνος, ὃς τέταρτος ἀπὸ Καλλίου, ἐφ' οὗ φασιν οἱ πλείους τὸν Σοφοκλέα τελευτῆσαι. <sup>25)</sup>

His tot testibus, quos nemo unquam aut inscitia aut malitia falsos fictosque esse docuit, scriptam esse ab Sophocle Oedipum Coloneum in extrema aetate exploratum est, actam vero mortuo demum poeta, archonte Callia, h. e. Ol. XCIII., 3. = 402. a. C. At vero doctissimi homines et ingenii laude maxime conspicui, Boeckhius, Reisingius, Godofredus Hermannus, alii ab argumentis profecti ex ipsa fabula ductis longe aliter de ejus aetate statuerunt. Quae argumenta qui in veterum testium verbis acquiescendum putant, facere non poterunt quin paulo diligentius examinent, quum et summorum viro-

25) Si qui forte Diodorum contra stare opinantur, qui Lib. XIV. 53. Sophoclis nepotem non Ol. XCIII., 3., archonte Callia, sed archonte Lysiade, h. e. Ol. XCIV., 4., fabulas docere coepisse refert, eamque ob causam fidem Scholiastae negare malunt, quam simplicissima ratione hanc, si tamen est, discrepantiam ita tollere, ut Diodorum de fabulis, quas *suo nomine* docuerit Sophocles junior loqui statuunt, ii velim adeant Fr. Hermannum l. l. p. 60. seq.

rum auctoritas ita efflagitet, et magna spes sit, aliquid certius atque exploratius internis, quae dicunt argumentis profecisse, qui, cur ab Cicerone, Plutarcho aliisque relatis fides tribuenda non sit, ne verbo quidem significare operae pretium judicaverint. Quare, quum, quemadmodum fecerunt Thierschius, Elmslejus, Wunderus, Fr. Hermannus, veterum testimonia adhuc sequuti simus, illorum virorum sententiae nobis percensendae erunt, quamquam id fere brevius fieri potest, quum illi docti homines, qui nequaquam inter se consentiant, pulchre nonnunquam alius alii errores suos exprobraverint.

Tralaticiam rationem primus quod ego sciam *Bocckhius* deseruit<sup>26)</sup>, qui actam esse Oedipum Coloneum conjicit Ol. LXXXIX. 4. = 421. a. Ch., Sophocle annuente septuagesimum quintum. Duas autem, cur ita conjiciat, affert causas: quod gravissime in Thebanos invehatur poeta, quos Athenienses illo tempore summo persequuti fuerint odio, et quod Oedipus de Thebanis victoriam Atheniensibus quasi in manus tradat. Cui quum *Reisigijs*<sup>27)</sup> objecisset, nihil in Oedipo Coloneo singulare esse proditum, quod ad illa spectet tempora, com-

26) De Tragic. Graec. princ. p. 187.

27) Enarrat. Oed. Col. p. VII. seq.

## XXXIV

plura vero inesse quae aperte repugnent, veluti ipsos illos versus, qui victoriam Atheniensibus augurari videantur, 605.

ὅτι σφ' ἀνάγκη τῆδε πληγῆναι χθονί.  
 et 621. ἴν' οὐμός εὔδων καὶ κεκρυμμένος νέκυς

ψυχρός ποτ' αὐτῶν θερμὸν αἶμα πίεται,  
 et 1533. χούτως ἀδῆρον τῆνδ' ἐνοικήσεις πόλιν

σπαρτῶν ἀπ' ἀνδρῶν,  
 qui clade a Thebanis ad Delium accepta sero essent dicti ac paene deridendi; porro v. 606.

καὶ πῶς γένοιτ' ἂν τὰ μὰ κακείνων πικρά;  
 et 616. καὶ ταῖσι Θῆβαις εἰ τανῦν εὐήμερεῖ  
 καλῶς τὸ πρὸς σέ, —

qui tantum absit ut hostilem in Thebanos animum prodant, ut optime inter utrumque populum convenire monstrent; denique v. 919.

καίτοι σε Θῆβαί γ' οὐκ ἐπαίδευσαν κακόν·  
 οὐ γὰρ φιλοῦσι ἄνδρας ἐκδίκους τρέφειν.  
 et 973. — ἀφ' ὧν μὲν εἶ

φαίνει δίκαιος, δρῶν δ' ἐφευρίσκει κακά,  
